



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 130. Quid circa vacationem Beneficiorum sit addendum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

separatis proventibus à titulo, permutetur cum te-  
nui. Ratio; quia excessus ille, eo ipso, quo manet an-  
nexus titulo, est debitus titulo, ideoque pro eo nihil  
exigi potest, quin etiam exigatur pro titulo.

*Resp. II.* Possè peti compensationem, ob hu-  
jusmodi permutationem, à Pontifice pro incom-  
modo temporali, quod alter subit, spoliando se  
proventibus sui Beneficii, ideoque talis compen-  
satio non est pretium Beneficii aut proventuum  
annexorum, sed conditio, ut se indemnem seruet, si-  
ne qua conditioe nollet se spoliare.

*Resp. III.* Jura proventuum possè separari à ti-  
tulis, & primò nudos titulos, deinde alio contractu  
jura proventuum, utpote temporalia permutari,  
compensato excessu opulentioris, idque auctorita-  
te solius Papæ, *vid. Less. l. c. Bon. n. 11.*

*Quæres III.* An licitè permutetur Beneficium  
hac lege, ut expensæ litis, vel Bullarum, refundantur  
per recipientem. *Resp.* Videri permutationem si-  
moniacam, si impensæ sint causa impulsiva per-  
mutationis, sine qua actus non fuerit futurus. I-  
dem de simili resignatione affirmarem. *v. Less. l. c.  
c. Bon. n. 9.*

## A D D E N D A.

**Q.** 130. *Quid circa vacationem beneficiorum* 325  
*sit addendum. R. Seqq.*

§. I. Beneficium vacare potest, 1. de jure tan-  
tùm, si quis habeat illius possessionem, sed nemo  
jus in eo, uti si Titius ob crimen vel possessionem  
alterius incomparibilis sit actu beneficio privatus,  
cujus tamen possessioni insistat. 2. De facto tantùm,  
si quis habeat jus in beneficio, sed nemo possessio-  
nem, uti si Titius habeat solam collationem. 3. De

§ f

jure



jure & de facto, si nemo habeat in eo aut jus aut possessionem, uti fit beneficiato mortuo; & hæc utraque vacatio venit communiter nomine vacationis; potestque idem beneficium vacare de jure per obitum unius & de facto per obitum alterius, uti colligitur ex dictis, *Rosa de Execut. Lit. apost. p. 1. c. 6. à n. 208.* Vide etiam *Leur. p. 3. q. 2.*, qui à q. 4. exponit vim termini illius, *vacare.*

386 §. II. Duo universim sunt modi vacationis, nempe naturalis, quem inducit natura ipsa per mortem beneficiati; & civilis, si beneficiatus dimittat vel excludatur à beneficio: prior vacatio vocatur decessus; posterior, cessus, *Leur. q. 3.*, qui q. 21. notat similes vacationes etiam aliquâ ratione convenire beneficiis manualibus. Vide eundem q. 22. De cætero speciales modi, quibus vacare possit beneficium, sunt plurimi, quorum 48. fusè enumerat *Barb. de potest. Ep. alleg. 57. à n. 199.*

387 §. III. Beneficium censetur vacare in loco, in quo quis moritur, jus enim adhærebat personæ, ergo ibi desinit, ubi persona, *Imol. Gonz. Lott.* Si obtineatur beneficium aliud impossibile, ibi vacat primum, ubi capitur possessio secundi, *Vital. Cardin. Imol. Gonz. ad Reg. 8. Gl. 15. §. 2. n. 10.* Si beneficium perdatur propter factum negativum, v.g. quia quis inter annum non est promotus, ibi vacat, ubi est persona non promotâ in fine anni, *Rebuff. Tond. Garc. p. 5. c. 1. n. 78.* Si perdatur ipso jure propter factum positivum, ibi vacat, ubi delictum est commissum, *Tond. Garc. n. 79.* Si perdatur per sententiam, ibi vacat, ubi fertur sententia privationis, *Abb. Felin. Simon. Pavin. Mandos. Gonz. n. 18. contra Gom. & Cardin.* Si perdatur per matrimonium, ibi vacat, ubi matrimonium contrahitur, etiamsi fiat per procuratorem, *Vital. Gonz. n. 15.*



Si resignetur vel permutetur, ibi vacat, ubi hoc fit, unde si fiat apud Ordinarium, vacat in partibus; si apud Papam, vacat in Curia, *Gl. Vital. Simon. Rebuff. Paris. l. 1. q. 4. n. 50.* Omnia verò beneficia affecta seu reservata dicuntur vacare in Curia, uti & omnia, quorum vacatio in Curia inducitur, *Simon. Garc. n. 73.* In dubio, beneficium non residentiale præsumitur vacare illo loco, in quo beneficiatus ordinariè habitabat; residentiale autem in loco beneficii, *Cap. Ex tua de Cleric. non resident. Abb. Alciat. Mascard. Gonz. n. 25. Vide Leur. q. 25.*

§. IV. Si beneficium vacet, etiam tantum jure, 888  
v. g. ob crimen, conferri potest alteri, etiam ante sententiam declaratoriam criminis, & non citato criminoso possidente, quia cum ipso jure sit privatus, caret jure, & alius est ejus capax, *Az Gonz. Paris. Mandos. Sanch. Rebuff. Garc. Barb. Chok. Lott. Pirb.* Attamen non poterit novo proviso dari possessio, nisi vocato primo possessore; multò minùs dari potest, si criminosus tantum fuisset privandus, sed prærequireretur sententia privationis, eidem AA. cum *Leur. q. 8. Vide Rosa à n. 234.*

§. V. Vacatio non inducitur ex persona habente 889  
solummodo jus ad beneficium, uti si moriatur præsentatus, ante institutionem; electus, ante confirmationem, quia beneficium per talem personam nunquam fuit plenum; hinc manet sub dispositione & modo providendi, qui competebat ex vi prioris vacationis, *Vital. Paris. Gonz. Put. Lott.* Idem est, si ille, cui collatum est beneficium, aut datum est mandatum provisionis in forma, *dignum*, moriatur ante acceptionem vel executionem, *Gonz. Lott.* Quomodo tamen censeatur inducta vacatio in ordine ad reservationem, vide *Leur. q. 17. & 28.*

§. VI. Non potest dari duplex in eodem genere 890

Ff 2

vacatio



vacatio ejusdem beneficii, sed prima impedit sequentem, Cap. *susceptum*, de Rescript. in 6. *Gonz. Lott. Leur. q. 18.* Vacatio autem non consumitur seu non finitur per provisionem de jure nullam aut non acceptatam, nec per commendationem beneficii, at tamen consumitur per provisionem legitimam acceptatam, etiam sine possessione; uti & per signaturam & registraturam supplicæ jam extraditæ & acceptatæ, licet necdum expeditis litteris, dummodo fuerit rescriptum in forma *gratiosa*. Item consumitur, imò in perpetuum tollitur per unionem ad alterum beneficium factam in perpetuum, *Tond. Gonz. Lott. Leur. q. 19. & q. 22. n. 2.* Specialiter autem statuitur Extrav. *Injuncta*, de Elect. inter communes, ut vacatio Sedis Episcopalis vel Abbatialis non censeatur finiri, nisi litteræ confirmationis aut provisionis Apostolicæ sint expeditæ & præsentatæ Capitulo, *Rebuff. Gonz. Leur. q. 20.*

891 §. VII. Si verba foundationis sic habeant, *quando contigerit possessorem mori, substituatur, qui has qualitates habeat*, per Tò mori, debet intelligi quacumque vacatio beneficii, nam tantum ponitur mors, quia per hanc communis vacant beneficia, *Sanch. de Matr. l. 7. d. 8. n. 13. Leur. q. 27. n. 2.*

892 Q. 131. *Quid addendum sit circa vacationem per obitum. R. Seqq.*

§. I. Mors talem inducit vacationem, ut licet beneficiatus resurgeret, jus ei non rediret, quia mors omnia jura solvit, *Gonz. Barb. Castrop. Leur. p. 3. q. 26.*

893 §. II. Per mortem hic intelligitur naturalis, hoc enim nomine simpliciter non venit mors civilis, nisi in casibus à jure expressis, *Fagn. Laym. Luca. Leur. n. 3.* Dicitur autem naturalis, prout opponitur civili, hinc sub ea venit etiam violenta ab extrinseco illata, *Bald. Lott. Leur. n. 4.*

§. III.